Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

Sit procul omne malum postes preterque gemelle
Partibus in mediis que satis esse solent
Rusticus aut fatuus non inveniat in urbe
Absque molendino sit locus iste precor
Sint ebetes stimuli surdi muti que molossi
Sint que procul catuli vox inimica michi
Hospes ruricula sit tunc semper habendus
Carduus insutus et pluvialis aqua
Sint species viles sit et emptor rarus in urbe
Cuilibet exstat venditor eris egenus
Sint merces multe sit nimium cara moneta
Sit tempus pluvium sit que lutosa via
Prospera sint cuncta sint cuncta salubria nobis
Ut meum citius expediatur iter
Talia commemorans postremum pervenit in urbem
Et dedit hospicio membra que fessa thoro
Surgens mane forum empturus adivit
Quas non inveniens tristis abire parat
Quatuor ergo dies circum lustravit in urbe
Nec tamen invenit que cupiebat ibi

Qualiter brunellus sit deceptus a mercatore

Talia brunello mercator lodomensis
Vidit et attendens quis fuit inquit ei
Nuncius es magnus quisquis te misit istuc
Maxima namque petis et preciosa nimis
Est sapiens et dives erat mi socii [?]
Aut ita te misit res manifesta docet
Nam facies vultus que tuus satis indicat unum
Veneris aut quos sis nec latuisse potes

179